Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XXIV.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

ces in eorum, ad qvos fiunt, animis, agunt, qvæ ab ipsis in ejusmodi statu proferuntur. Hac de causa eximi qvoqve viri, sibi non prius ex hac vita emigrandum putârunt, qvam suos gravissimis verbis admonuissent, ut *Jacob* Gen. XLVIII, & XLIX. *David*, 1. Reg. II. *Tobias* c. IV. Sic Christus circa passionis tempus præclaros cum discipulis suis sermones gerit.

CAPUT XXIV.

ITerum adhortatur Josue populum ad constantiam in vero DEI cultu, ne sint ingrati pro universis beneficiis, qvibus inde â Patrum seculis affecti erant plurimis. Hi verò defectionem toto animo detestantur: qvibus sic peractis & lapide in testimonium fidei erecto confirmatis, Josue & Eleazar vitam cum morte corporali commutant.

Partes sunt qvinq; I. est διήγησις καὶ σύστασις i. e. *enarratio & commendatio* præcipuorum beneficiorum, qvibus DEus Judæos cumulaverat, usq; ad v. 14.

II. Pars est ἀπόφασις ad constantem DEi dilectionem v. 14.

III. ἐξέτασις seu δοκιμασία i. e. *inqvisitio & probatio* spontaneæ obedientiæ populi usq; ad 25. cap.

IV. βεβαίωσις seu *confirmatio* promissæ obedientiæ & constantiæ usq; ad v. 29.

V. Continet obitum Josuæ & Eleazaris, usqve ad finem.

Primam partem qvod attinet, distribuuntur beneficia populo Israel ab initio exhibita, & temporum & locorum distributione. Primum tempus est ætas Abrahami, locus Mesopotamia & Canaan v. 2. 3. & 4. Secundum tempus est ætas Moisis: locus Ægyptus & desertum v. 5. & 6. Tertiò locus est terra Amorrhæorum, cis Jordanem, v. 8. usq; ad 11. Qvartum tempus est ætas Josuæ: locus est terra trans Jordanem. v. 11. usq; ad 14.

In II. parte παραίνεσις habet ἀνάθεσιν veri DEi & falsorum numinum v. 14.

In III. parte ἐξετάσεως seu explorandæ obedientiæ perseveratio. I. Sumitur *ab exemplo majorum: Discetis aliqvando*: Malum seu turpe est avorum nostrorum DEos abnegare: Qvare liberam, inqvit Josue, do vobis opinionem, utram partem cultus sectari velitis v. 15. Concludit hanc rationem ἀνάθεσε contrarii facti: *Ego autem & domus mea serviemus Domino.* Ibid.

Resp. populus ad hanc objectionem ἀφεστικὴν per inficiationem & detestationem. Verba textus sunt: *Absit â nobis, ut relinqvamus Dominum* &c. v. 16. Subjiciunt mox αἰτιολογίαν *ab indigno seu inhonesto*, qvia plurima veri DEI in nos extant beneficia, qvæ nobis declaravit in Ægypto, in deserto, in Canaan v. 16.

Secundam rationem ἀφεστικὴν sumit Josue *ab impossibili*: Sanctus DEus non potest coli â peccatoribus. Sed vos estis peccatores. v. 19. E. â vobis non potest coli. Intereà nec impunè diis alienis inservietis. Ergò necessaria erit optio, qvam partem vos sectari velitis. Populus respondet κατ' ἐπιμονὴν perdurando in proposito colendi, verum DEum, v. 22. & 24.

In

In qvarto parte confirmat Josue promissionem perseverantiæ populo excussam. 1. testimonio propriæ confessionis v. 22. V. T. Testes vos estis &c. 2. Percussione fœderis, cujus primò materia sunt præcepta legis divinæ partim verbis, partim scriptis comprehensa, v. 25. Secundò est lapis grandis, qvi ab eventu vocatur lapis testimonii v. 26. Tertiò finis & forma est testificatio, qvod Israel DEum suum negare nolit v. 27. Qvartò conseqvens est dimissio populi, v. 28.

In V. parte describitur mors Josuæ v. 29. & Eleasaris v. 23. In obitu Josuæ notentur. 1. *ejus ætas*, qvæ est 110. annorum v. 29. 2. *Sepultura* v. 30. 3. *Conseqvens*, qvod duratio divini cultus v. 31. 4. *Adjunctum* est addidamentum ossium Josephi v. 32.

QVÆSTIO I.

An in versu 12. nomen Crabronum metaphoricè accipiendum sit?

Affirmatur.

Qvidam putant hoc nomine *metaphoricè* intelligi viros fortes & metuendos, qvemadmodum in Proverbio *crabrones iratos & feroces in suum ipsius exitium lacessere.* Alii per Crabrones intelligunt panicum terrorem Israelitarum adventui præmissum & in Canaæos conjectum. His patrocinare videtur æqvipollentia scripturæ & phraseos conformitas. Ut enim DEus dicit Devt. VII, 30. *Crabrones mittet Dominus in eos &c.* Ita dicit Exod. XXIII, 27. *Terrorem meum mit-*

tam in præcursum suum & præterrefaciam omnem populum, ad qvem ingredieris. Sic Devt. II, 25. & c. XI, 25. *Incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos, ut audito nomine tuo contremiscant & infirmentur â facie tua.* Hoc ita evenisse testatur *Rahab* supra cap. II, 9.

II. Ut in textu DEus dicit: *Misi ante eos crabrones & ejeci eos de locis suis*: sic David de eadem materia loqvitur 1. Par. XVI, 31. *Perrexit DEus &c.* ad expellendum â facie populi gentes. Et Esaiæ XLIX, 5. *Inducam super te terrorem & dispergemini â conspectu vestro.*

Negatur.

Contra Crabrones in proprio sensu de animalculis pungentibus accipiendos esse probamus I. ex Exod. XXIII, 27. ubi distinctè & terroris panici, qvem Hebræi אֵימָה vocant. Et v. 28. crabronis fit mentio. Verba sic habent: *Terrorem meum mittam ante te, & mittam crabronem ante te.* E. crabro non est terror.

II. Ratio *â paribus*: DEus in Ægypto locustarum & muscarum morsibus ad occcidendos pertinaces usus est, qvod constat ex Sap. VI, 9. Exod. VIII, 24. & c. X, 6. Ubi Moses usurpat vocabulum עָרֹב qvod significat *mixtionem diversi generis infestorum*, in qvibus etiam crabrones meritò numerantur. Cur ergo DEus etiam crabronum exercitu non potuerit aut noluerit Cananæos ita excruciare, ut è terra fugerent.

III. Ratio: Probo tertiò autoritate libri Sap. XII, 18. *Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.*

SO-

SOLUTIO.

Etsi *Osiander* in paraphrasi Biblica cum aliis sententiam affirmativam amplectitur; tamen nos secus statuimus propter argumenta partis negantis valentiora. Intelligimus igitur per crabrones insecti genus, qvod Hebræi appellant צִרְעָה qvod cognationem habet cum רָצַע *perforavit*, qvia acutissimo præditum est spiculo, qvo homines & animalia perforat & excruciat, Græci σφηκίαν reddunt i.e. *examen Lutherus* vocat Hornissen. *Plinius* lib. 1. c. 21. histor. naturalis scribit, talium crabronum ictus haud temerè sine febri esse. Addit ibidem ex qvorundam fama, ter novenis hujus insecti punctis enecari hominem. Unde apparet hanc fuisse atrocissimam plagam, qva Cananæi, veluti præludii loco ante Israelitici exercitus adventum excruciati & vexati sunt.

QVÆSTIO II.

An homo liberum arbitrium habeat in spiritualibus?

Affirmatur.

Videtur affirmativa sententia probari posse ex textu:

Si homo non habet liberum arbitrium in spiritualibus, frustrâ jubet Josue Israelitas eligere, qvem Deum colere velint. Dicit enim v. 15. *Eligite cui servire velitis &c.* Sed conseq. 1. falss. E. antec. verum. Deinde

v. 23. dicit: *Inclinate corda vestra ad Dominum DEum Israel*: Ergo homo habet propensionem naturalem inserviendi DEo.

Negatur.

Contrà *David* dicit: Psal. XLIII, 22. *Non est qui intelligat, non est qui exqvirat Dominum*: Ergò non est qvi eligat verum cultum DEI. II. *Paulus* 2. Cor. III. v. 5. dicit: *Non sumus idonei cogitare aliqvid &c.*

Λύσις.

Cum disputamus de libero arbitrio, considerandus est *homo in gemino statu*. 1. *in statu corruptionis* seu damnationis, qva qvis nondum est conversus ad DEum. Ac de eo sententia negativa vera est. 2. *In statu conversionis* seu regenerationis, qva regitur & ducitur homo â Spiritu DEI spontaneo Ps. L, 14. In hoc statu non negamus hominem habere aliqvam libertatem eligendi, sed non ex naturali potentia & inclinatione ad bonum.

Unde patet solutio ad objectiones sententiæ affirmativæ, qvæ utræq; loqvuntur de libertate voluntatis regeneratæ. Plus igitur infertur, qvàm præmittitur: Ergo homo eam libertatem â natura.

QVÆSTIO III.

An lapis testimonii in sanctuario Domini erectus fuerit?

Hoc

Hoc *affirmatur in textu* v. 26.

Contrà.

Lapis fuit erectus in Sichem. Sed in Sichem non fuit sanctuarium, sed in Siloh. Ergo lapis qvoqve non fuit erectus in sanctuario.

Λύσις.

Qvidam negantes MAJOREM dividunt actiones ad præsens fœdus pertinentes: recitationem legis factam dicunt in Sichem, lapidem verò postea positum esse in Siloh, ubi erat sanctuarium. Nam hæc loca non multum distabant. Hæc responsio non est inconveniens, qvia in distinctis versibus distincti qvoqve actus exprimuntur, ut vides in vers. 25. & 26.

Alii ambiguitatem agnoscunt in voce sanctuarii intelligentes non locum tabernaculi, sed synagogam.

Alii negant MINOREM & per distinctionem addunt, qvod arca fœderis tempore renovati fœderis in Sichem translata fuerit, & loco suo post modum restituta, ubi negocium peractum fuit. Qvod autem DEUS Devt. VI, 21. prohibet plantare arborem ad altare suum, id (ne hoc qvidem negligamus) ad cultum divinum referendum est, non ad conservandam rei alicujus gestæ ut hoc loco fit memoriam.

LOCI COMMUNES Theologici.

I. De

I.
De autoritate divinorum eloqviorum.

Josue adhortaturus populum ad perseverantiam, hac inprimis impulsiva utitur, qvod ait: *Hæc dicit Dominus* v. 1. Nam propter DEi revelationem & inspirationem credendum est Prophetarum & Apostolorum miraculis, absqve omni mentis hæsitatione 2. Thess. II, 13. 1. Pet. IV, 10. 2. Petr I, 21. Ideoq; qvi hoc verbum rejicit, in DEum ipsum est contumeliosus 1. Reg VIII. & XV, 23. Esa. V, 24. Amos II, 4.

II.
De vocatione credentium.

Vocatio ad regnum DEi merè est gratuita excludens omnem proprii meriti & dignitatis respectum, id qvod exemplo Abrahæ probatur, qvem DEus ex medio idololatrarum Chaldaicorum, veluti è gremio sustulit solâ misericordiâ permotus.

III.
De beneficiis DEI præcipuis.

Horum Catalogus recensetur in textu 1. *Segregatio ab infidelibus populis* v. 3. 2. *Protectio* in peregrinationibus ibid. 3. πολυτεκνία seu *familiæ multiplicatio*. 4. *tempore annonæ conservatio* v. 4. 5. *Præstantissimorum virorum donatio* v. 5. 6. *Liberatio â persecutionibus* & tyrannis v. 6. & 7. 7. *Terræ optimæ & fertitissimæ possessio* v. 8.

IV. *De*

IV.

DE INSTRUMENTO DIVINÆ vindictæ.

DEUs vindicaturus hominum ſcelera inter alia organa utitur etiam ad manifeſtandam omnipotentiam ſuam minutiſſimis animalculis, muſcis, pediculis, inſectis & h. l. crabronibus, ſeu Decumanis veſpis. Ex his poteſt uno nutu exercitum conſcribere & robuſtiſſimas armatorum virorum turmas ſubitò proſternere.

Hiſtoria memorabilis extat apud *Theodoretum* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 30. de *ſapore Perſarum rege*, qvi urbem Lyſibin, qvam alii Antoniam Mictonim appellant, in qva erant Chriſtiani, obſediſſent, impetrante hoc Epiſcopo viro ſanctiſſimo magna vis crabronum & pulicum ſubitò invaſit incubans in promuſcidas cavas Elephantorum, & aures eqvorum complens, cujus impetus impatientes eqvi & elephanti loris ruptis ſeſſores excuſſerunt, & turbatos ordines in fugam converterunt.

V.

De vero DEI cultu.

I. De ejus *impulſiva*. Afficit nos DEus ideò beneficiis immenſis, ut ea nobis ſint incitamenta ad pietatem & obſeqvium DEo debitum, ex v. 14.

II. Causa efficiens divini cultus est voluntas liberè eligens, qvod rectum piumve est. Nam qvod coactè fit, DEO placere haud potest. Qvamobrem prudenter facit Josue, qvod Israelitis 2. argumentis πφεφεικοῖς promissæ constantiæ in veritatis confessione excutit, ne qvoniam dicant, se ad colendum DEum compulsos esse & coactos.

VI.

De religionis libertate.

Vult Josue religionem esse liberam, ne conscientiam ullius aggravet. Nam externa vis non gignit spontaneos DEi cultores sed hypocritas, ex v. 15.

VII.

De Majorum exemplis.

Errorem in fide & moribus nemo potest excusare suorum majorum exemplis, nec videndum est, qvid ante nos amici homines crediderint. Sed qvid â nobis credi imperet DEus, ex v. 15.

VIII.

De virorum præstantium longævitate v. 29.

Qvod DEus præclaros viros in his terris diu superesse permisit, ejus ratio fuit: Ut illi essent *testes* vivi miraculorum & beneficiorum divinorum. II. Ut essent *custodes* bonæ disciplinæ & propagatores veræ doctrinæ. Ut enim Israelitæ, qvam diu vivunt & Josue & seniores, DEo serviunt, illis verò mortuis deficiunt:

ciunt: Ita post gubernatorum & ministrorum verbi fidelium immaturos obitus multæ suboriri solent ἀταξίαι & hæreses: Vide qvæso, qvæ temporum injuria, subsecuta sit, non modo mortem Apostolorum, sed etiam Patrum orthodoxorum & superiori seculo Lutheri & similium. III. Ut illustrarent artes inventas, aut novas invenirent.

IX.

De cultu sanctorum defunctorum.

Exuviæ Josuæ & Eleasaris, ossa item Josephi non adorantur aureâ capsulâ inclusa, sed sepeliuntur: neqve ob id minus honestè tractantur, qvia DEus nullum alium honorem mortuis corporibus exhiberi vult, nisi ut in terram revertantur, cum terra sint Gen. III. *Faxit DEus, ut sanctorum vestigiis, qvam diu vivimus, ita insistamus, qvo cum ipsis corpora nostra in terra, animæ verò in gremio Abrahæ æterna qviete fruantur, per* JESUM CHRISTUM AMEN.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg

INDEX I.

Vocum Hebræarum explicatarum.

א.

אֶבֶן מַשְׂכִּית 144 *seq.*
אָדָם 504
אָדוֹן 129
אוּלַי (*ab* אוּל) 511. *seq.*
אֵימָה (*ab* אוּם) 93. 636
אֶמֶץ 22
אַף 223

ב.

בֹּקֶר (*â* בִּקֵּר) 115

ג.

גָּדַל 127

ד.

דָּבָר 2. 102

ה.

הָמַם 395

ח.

חָזַק 22
חַיִל 416
חֲלוּצִים (*â* חָלַץ) 151. *seq.*
חָמַד 270
חֲמֻשִׁים (*â* חָמַשׁ) 57
חֲצִיה (*â* חָצָה) 403
חָצֵר 531
חֵרֶם 208. 447
חֶרֶשׁ (*â* חָרַשׁ) 74

ט.

טַף (טפף) 56

י.

יוֹבֵל (יבל) 200
יָדַע 92
מוֹעֵד (יָעַד) 558. 560
מַצֵּבָה (*â* יצב) 144
מוֹרָאִים (*â* יָרֵא) 99

כ.

כ 389
כִּידוֹן (כִּיךְ) 306
כִּנּוֹר (כנר) 431

ל.

לָקַח 451

מ.

נָמֹגוּ *â* (מוּג) 93
מָעַל 222
יַמְרֶה (*â* מָרָה) 67

נ.

נָבֵל (*â* נָבַל) 265
נְבָלָה 265. *seq.*

לְנֶגְדּוֹ